



ECKARDVS AVSTRIACVS.  
 ECKardus Austriacus ordinis (ut quidam uo-  
 lunt) prædicatorum, in diuinis scripturis eru-  
 ditus, & in phisophia Aristotelica omnium suo  
 tempore doctissimus fuit. Erat is felicissimo in-  
 genio & mira eloquentia præditus. Cum autem  
 Eckardus uarias superstitiones paulatim in Eccle-  
 siam adductas intelligeret, atque pontificum fa-  
 stum animaduerteret, nouitatem terminorum  
 contra aliorum Theologorum consuetudinem  
 suis commentarijs immiscuit, atque Ecclesiæ er-  
 rores ostendit. Hinc factum ut septemdecim e-  
 ius articuli à pontifice fuerint damnati, quos eti-  
 am ille sub uitæ finem multorum precibus persua-  
 sus reuocauit. Hos tamen postea Heidelbergensis schola, Anno reparatae sa-  
 lutis humanæ millesimo quadringentesimo tricesimo, ex eius commentarijs  
 super Iohannem erutos denuò condemnauit, atque seorsim eius opusculis  
 adiecit. Scripserat is eruditè in Genesim, Exodum, librum Sapientiæ, Can-  
 tica, in Euangelium Iohannis, & super libros sententiarum. Cum hoc modo  
 in Austria docendo & prædicando in magno pretio esset, tandem mortuus  
 est sub Heinrico septimo Imperatore, anno saltis millesimo trecentesimo de-  
 cimo. Trith.